

15. Præcipit in quintodecimo, quòd etiam si Presbyteri in suâ ordinatione à peccatis absolvendi potestatem accipiant, nullus tamen, regularis etiam, sine approbatione Episcopi potest confessiones sæcularium, etiam sacerdotum audire.

16. In decimosexto determinat, quemcunque ordinandum utilem futurum suæ Ecclesiæ, & in eâ adscribendum, ubi suis fungatur muneribus, nè incertis vagetur sedibus. Desertori suæ Ecclesiæ, inconsulto Episcopo, sacrorum exercitium interdicitur. Nemo peregrinus, sine litteris commendatitiis sui Ordinarii, ad divina celebranda, Sacramentaque administranda admittatur.

17. In decimosextimo capite continetur, Minorum Ordinum exercitia restituit debere in Ecclesiis, assignatione factâ fructuum simplicium beneficiorum, vel fabricæ Ecclesiæ. Deficientibus tamen Clericis Cœlibatum colentibus, sufficiens esse conjugatos monogamos tonsuratos, & clericalem habitum in Ecclesia gestantes.

18. Explicit vigesimatertia sessio in decimo octavo capite hujusmodi: In singulis Cathedralibus, Metropolitanis, aliisque majoribus Ecclesiis Sancta Synodus statuit, ut Collegia, sive Seminaria pro puerorum educatione, ut in posterum Ecclesiasticis ministeriis perpetuò inserviant, instituantur. Episcopi debent primum ex suâ, & Capituli mensâ contribuere seminario, & postea cogere alios. Insuper, pro regulis statuisque conficiendis, duo Canonici ab Episcopo sunt eligendi.

#### SESSIO VIGESIMA QUARTA.

1. **A**ccedit Vigesima quarta gravissima Sessio octava sub Pio IV. celebrata, die 11. Novembris, anno 1563. continet proficuum valdè doctrinam de Sacramento Matrimonii in duodecim sacros sparsam Canones. Insuper, duplex adducit decretum. Primum de reformatione Matrimonii in decem divisum Capita. Secundum etiam de reformatione circa ejusdem materiæ progressum, & in unum supra viginti Capita partitum.

2. Adhæc Sacra Tridentina Synodus exoptans Hæreticorum, Schismaticorumque temeritatem, & audaciam compescere, famosiores eorum hæreses, & errores circa Matrimonii Sacramentum, duodecim hic appositis sacris Canonibus, evertere tentat.

DECRETUM PRIMUM DE REFORMATIONE MATRIMONII in decem partitum capita.

1. **I**n primo ostendit modum, formamque celebrandi ritè ac solemniter Matrimonii Sacramentum. Hoc etenim decreto Matrimonia clandestina, non solum illicita, verum irrita, & invalida decernit, & declarat.

2. In secundo assignat Personas, inter quas impedimentum cognationis spiritualis, ortum ex Baptismo & Confirmatione, contrahitur.

3. In tertio determinat de publicæ honestatis impedimento. Ubi sponsalia valida hoc solum impedimentum causant; protenditurque in primum gradum usque, quia in ulterioribus prohibitio observari absque dispendio nequit.

4. In quarto statuit Sancta Synodus, impedimentum affinitatis ex fornicatione contractum solum ad secundum gradum usque dirimere Matrimonium postea celebratum.

5. In quinto diffinit, quòd si quis intra gradus prohibitos Matrimonium contrahere præsumperit, separetur, & spe dispensationis consequendæ careat; si verò ignoranter id fecerit, tunc facilius cum eo, & gratis, dispensare poterit. In contrahendis Matrimoniis, vel nulla omnino detur dispensatio, vel raro.

6. In sexto decernit eadem Synodus, Matrimonium inter raptorem & raptam nullum, consistere posse, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit. Raptor, omnesque illi consilium, auxilium, & favorem præbentes, sunt ipso jure excommunicati, ac perpetuò infames; etsi Clerici fuerint, de proprio decident gradu.

7. In septimo docet, quòd si Parochi diligentem indaginem prius non fecerint, & rē ad Ordinarium delatā, ab eoque licentiam non obtinuerint, Matrimonia hominum, qui vagantur, & incertas habent sedes, non admittantur, neque ipsis intersint.

8. In octavo expendit, quòd si concubinarij ab Ordinario ter admoniti concubinas non ejecerint, ab earumque consuetudine se non abstinerint; excommunicatione feriuntur; & concubinariæ etiam si ter admonitæ non paruerint, invocato sæculari brachio, extra oppidum, vel Diocesim ejiciantur.

9. In nono præcipit, omnibus Dominis, Magistratibusque cujuscunque gradus, dignitatis, & conditionis existant, sub anathematis pœnâ, ipso facto incurrendâ, nè directè, aut indirectè subditos suos,



vel quoscunque alios cogant, quominus liberè Matrimonia contrahant.

10. In decimo ordinat, quòd ab Adventu Domini nostri Jesu Christi, usque in diem Epiphaniæ, & à feriâ quartâ cinerum, usque in octavam Paschatis inclusivè, benedictiones nuptiales celebrari nequeunt; aliis verò temporibus solemniter celebrari permittit.

DECRETUM SECUNDUM DE REFORMATIONE IN UNUM

supra viginti diffusum capita.

1. **I**n primo agit de justâ ac saluberrimâ electione Prælatorum ac Cardinalium habendâ, ita ut semper Beatissimus Romanus Pontifex lectissimos tantum sibi Cardinales asciscat, & bonos maxime atque idoneos Pastores singulis Ecclesiis præficiat: quos ex legitimo Matrimonio natos, & vitâ, ætate, doctrinâ, aliisque omnibus qualitatibus præditos esse debere, decernit.

2. In secundo disponit, quòd pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversisque componendis Concilia provincialia quolibet triennio per ipsum Metropolitanum, aut, eò impedito, Coepiscopum antiquiorem, celebrentur. Ad ea convenire tenentur, quicumque de jure, vel de consuetudine interesse debent. Synodi diœcesanæ quotannis etiam celebrari debent.

3. In tertio jubet, Patriarchas, Episcopos, & alios Superiores visitationem suæ diœcesis efficere debere, eamque intra biennium perficere; necnon cavere, nè inutilibus sumptibus cuiquam graves, onerosive sint, exceptis procurationibus, & victualibus.

4. In quarto docet, Prædicationis munus frequenter esse obeundum; proindeque Episcopum populum diligenter moniturum, teneri unumquemque Parochiæ suæ interesse, ubi commodè id fieri potest, ad audiendum verbum Dei. Nullus, contradicente Episcopo, prædicare præsumat, etiam in Regularium Ecclesiis.

5. In quinto determinat, quòd causæ criminales graviores contra Episcopos, etiam hæresis, à solo Papâ cognoscantur, & terminentur; aliquandò tamen causarum disquisitionem Metropolitanis committit, qui solum facti instructionem sument, & ad Romanum Pontificem transmittent. Minores criminales causæ cognoscantur à solo Concilio Provinciali.

6. In sexto decernit, licitum esse Episcopis in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus, ex delicto occulto provenientes, exceptâ eâ, quæ oritur ex homicidio voluntario, necnon exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare, & in quibuscunque casibus

bus occultis, etiam Apostolicæ Sedi reservatis.

7. In septimo statuit, quòd sacramenta administretur, eorumque vis & usus pro suscipientium captu frequenter explicetur linguâ vernaculâ. Missâ quoque Mysterium Populo sedulo inculcetur explanatione ejus, quod agitur, eliminatis omnibus inutilibus quæstionibus.

8. In octavo perhibet, juxta Apostolum, pœnitentiam publicam, publicè pœccantibus injungendam, nisi Episcopi arbitrio aliter fuerit visum. In singulis Cathedralibus Pœnitentiarios instituendos, qui annorum quadraginta sint, seu aliàs pro loci qualitate aptiores reperiantur.

9. In nono monet, quòd Ecclesiæ sæculares, quæ in nullius Diœcesi esse dicuntur, ab Episcopo viciniore visitentur, alioquin, ab eò, qui semel in Concilio provinciali à Prælato loci illius electus fuerit, tanquam Sedis Apostolicæ delegato, visitari tenentur.

10. Præcipit in decimo, ubi de visitatione, aut morum correctione agitur, Episcoporum subditos nullâ appellatione suspendere posse executionem visitationis, sive quæ ab his mandata, decreta, aut judicata fuerint.

11. In undecimo constituit, quòd Episcoporum juri nihil est derogatum ob honorarios titulos, & privilegia particularia, quibus Cappellani Regii, Protonotarii, aliique hujusmodi fruuntur, nisi actû talia exerceant munia.

12. In duodecimo agit de ætate, & qualitate suscipiendorum in Ecclesiis Cathedralibus, aut Collegiatis, necnon professione fidei, officio, ac de residentiâ. Tandem concludit, Episcopum non minùs, quam cum duobus Canonicis, quorum unus ab Episcopo, alter à Capitulo eligatur, in his, quæ expedire videbuntur, providere posse.

13. In tertiodecimo decernit, Cathedrales tenues à Summo Pontifice uniendas, ut accessione ex fructibus augendas. Interea, donec prædicta effectum sortiantur, Episcopo provideatur. Parochiales, sed tenues Ecclesiæ, augeri tenentur: At beneficia tenuia pensionibus gravari minimè convenit. Parochias suas singulas singuli Parochiani frequentent, & unicuique Parochiæ perpetuus, peculiarisque Parochus assignetur.

14. In quartodecimo ordinat, quòd in nullâ provisione, seu admissione ad possessionem cujuscunque beneficii fiant ulla fructuum deductiones, solutiones, promissiones convertibiles in usus non pios; consuetudinibus laudabilibus exceptis, & per Episcopum probatis. Eos verò, qui adversus hæc, in presenti decreto comprehensa, quamvis ra-



tionem commiserint, pœnis contra Simoniacos editis, teneri decernitur. In quintodecimo determinat, in Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatisque Insignibus, ubi frequentes, adeoque tenues sunt Præbendæ unâ cum distributionibus quotidianis, licere utique Episcopis cum consensu capituli ipsas augere præbendas unione quorundam aliorum beneficiorum; aut Patronorum consensu quarundam præbendarum fiat tanta suppressio, quæ non officiat divino cultui celebrando, & dignitati Ecclesiæ commodè valeat correspondere.

16. In decimosexto decernit, quod Capitulum, Sede Vacante, ubi fructuum percipiendorum ei munus incumbit, æcononum unum, aut plures constituat, ut de iis curam gerat. Similiter Officialem seu Vicarium infra octo dies post mortem Episcopi designare, vel existentem confirmare, omninò teneantur.

17. In decimosextimo statuit, singula singulis personis conferenda beneficia ecclesiastica, etiam si Cardinalatis honore fulgeant. Obtenenti tamen beneficium insufficienti, conferri posse aliud simplex, dummodò utrumque personalem residentiam non requirat. Habentes plures Parochias, cogendos omninò, unâ tantum retentâ, alias dimittere.

18. In decimo octavo providet, quod dum Parochialis Ecclesiæ vacatio contingit, fiat examen per concursum, præmissis edictis, ubi qualitates eorum, qui debent examinare, & examinari describuntur. Si Ecclesia fuerit juris patronatus Ecclesiastici, & institutio pertineat ad Episcopum, quædam erunt strictius observanda, quàm si Ecclesia juris patronatus laicorum fuerit. Alia scitu digna hoc præcontinet capitulum.

19. In decimonono præcipit, Expectativis hætenus concessis, uti nulli licitum fore, etiam sub nomine indulti, aut alio quovis colore oblati. Reservationes mentales, nec aliæ quæcunque gratiæ ad vacatura nulli concedantur, & hucusque concessæ abrogatæ censeantur.

20. In vigesimo præmittit, causas omnes ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, in primâ instantiâ coram Ordinariis locorum duntaxat cognoscendas; atque omninò, saltem infra biennium à die excitatæ litis terminandas, ex quo licebit ad alium judicem appellare, imò & ante alioque in casu. Causas matrimoniales, & criminales solum Episcopum cognosciturum, etiam dum controversitur de hujusmodi causæ cognitione. Legatos de latere, non processuros contra Clericos, aliasve Personas Ecclesiasticas, nisi prius Episcopo requisiti, & negligente.

21. In vigesimo primo & ultimo hujus sessionis Capite, quædam duntaxat verba declarat, quæ in legentium, audientiumque animum

du-

dubitationem aliquam ingerere poterant, super verbis decreti Pii IV. Sess. 1. sub hoc celebratâ Pontifice, publicati.

## SESSIO VIGESIMA QUINTA.

1. Vigesima quinta Sessio, quæ ultima sub Pio IV. celebrata appareret, dieque tertiâ incepta, absolutaque quartâ Decembris die anno 1563. primò continet duplex decretum de Purgatorii existentia, & invocatione, veneratione, reliquiis Sanctorum, & sacris Imaginibus. Secundo, aliud de Regularium, Monialiumque reformatione in 22. partitum Capita, exambit decretum. Tertio, de Ecclesiastici status reformatione aliud adducit in alia viginti, & unum divinum Capita decretum.

2. Quarto, septem alia post Sessionis continuationem proponit decreta. Tandem, Patrum acclamationes in fine Concilii, eorum syngrapha, ejusdemque Concilii confirmationem refert. Decretum igitur de Purgatorio, ejus existentiam statuit ex sacris litteris, & antiquâ Patrum traditione; & quod Fidelium animæ ibi detentæ, suffragiis vivorum, præsertim Sacrificio Altaris juvantur. Quod Episcopi diligenter studeant, ut sana de Purgatorio doctrina à Conciliis tradita, à Christi fidelibus credi, teneri, doceri, & ubique prædicari, eliminatis quæstionibus subtilioribus, quæ ad ædificationem non faciunt.

3. Decretum aliud comprehendit quidquid ad invocationem, & intercessionem Sanctorum, Reliquiarum, Cultum & honorem, necnon legitimum Sanctarum Imaginum usum spectat. Nemini licet ullo in loco aliquam insolitam collocare Imaginem, neque nova admittere miracula; aut novas reliquias recipere, nisi ex Episcopi approbatione, & consensu.

## DECRETUM DE REGULARIBUS, ET MONIALIBUS IN 22. dissectum Capita.

1. PRIMUM sanctissimè hortatur Regulares omnes, tan viros, quàm mulieres, ad Regulæ observantiam, quam professi sunt, præscriptumque vitam instituant, & componant.

2. Secundum monet Regulares utriusque sexûs nihil habere proprii, & usum moviliam à Superioribus convenientem permitti. Quod si quis aliter quidquam tenere deprehensus, aut convictus fuerit, is biennio activâ, & passivâ voce privatus sit.

3. Tertium statuit, quod omnes Conventus, seu Mendicantium Monasteria (Minoribus Fratibus S. Francisci de Observantiâ, & Ca-

Tem. V.

Pp

puç